

religionis, ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes; ut liberi Deo serviant, nullaque praepediti necessitate ab ecclesiasticis officiis retrahantur.

XLVIII. — *De institutione oeconomorum, id est, qui res Ecclesiasticas tractant.*

Eos quos oeconomos Graeci appellant, hoc est, qui vice Episcoporum, res ecclesiasticas tractant, sicut sancta Synodus Chalcedonensis (*Canon 26*) instituit, omnes Episcopos de proprio Clero ad regendas Ecclesias habere oportet: qui autem deinceps contempserit, obnoxius ejusdem magni Concilii erit.

XLIX. — *De professione Monachorum, et devotione parentum eorum.*

Monachum (*20, q. 1, Monachum; Ivo, p. 7, c. 5*) aut paterna devotio aut propria professio facit: quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus aditum, et omnem ad saeculum interdicimus regressum.

L. — *De Clericis, qui monachorum propositum appetunt; ut licitum habeant.*

Clerici (*19, q. 2, Clerici qui*) qui Monachorum propositum appetunt; quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in Monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.

LI. — *De discretionem potestatis Episcoporum, quam in monasteriis habere potuerunt.*

Nuntiatum est (*18, q. 2, Hoc tantum; Hispal II. Hoc jus Episcopis adimit Lateranense I. Vide Tridentin. ses. 21, c. 8, et ses. 24, c. 5*) praesenti Concilio, quod Monachi, Episcopali imperio, servili opere mancipentur, et jura Monasteriorum contra constituta canonum illicita praesumptione usurpentur; ita ut pene ex coenobio possessio fiat, atque illustris portio Christi ad ignominiam servitulemque perveniat.

Quapropter monemus eos qui Ecclesiis praesunt, ut ultra talia non praesumant: sed hoc tantum sibi in Monasteriis vindicent Sacerdotes, quod praecipiant canones, id est, Monachos ad conversationem sanctam praemonere, Abbates, aliaque officia instituere atque extra regulam facta corrigere. Quod si aliquid in Monachis canonibus interdictum praesumpserint, aut usurpare quippiam de Monasterii rebus tentaverint; non deerit ab illis sententia excommunicationis, qui se deinceps nequaquam sustulerunt ab illicitis.

LII. — *De monachis vagis, et à monasteriis egressis.*

Nonnulli Monachorum (*Vide Concilium Turonense, cap. 11, Ex quo decretum est*) egredientes à Monasterio, non solum ad saeculum revertuntur, sed etiam uxores accipiunt. Hi igitur revocati, in eodem Monasterio à quo exierunt, poenitentiae deputentur, ibique defleant crimina sua unde decesserunt.

LIII. — *De religiosis vagis, qui nec inter Clericos, nec inter monachos habentur.*

Religiosi propriae regionis, qui nec inter Clericos, nec inter Monachos habentur, sive hi qui per diversa loca vagi fuerint, ab Episcopis, in quorum conventu commanere noscuntur, licentia eorum coërceatur; in Clero aut in monasteriis deputati, praeter illos qui ab Episcopo suo, aut propter aetatem, aut propter languorem, fuerint absoluti.

LIV. — *De discretionem poenitentium, et qui possunt ad honores Ecclesiasticos provehi, vel qui non possunt.*

Hi qui in discrimine constituti poenitentiam accipiunt, nulla manifesta scelera confitentes, sed tantum peccatores se praedicantes, hujusmodi si revaluerint, possunt etiam, pro morum probitate, ad gradus ecclesiasticos pervenire. Qui vero ita poenitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum perpetrasse publice fateantur, ad Clerum vel ad honores ecclesiasticos pervenire nullatenus poterunt: quia se confessione propria notaverunt.



LIV. — *De poenitentibus viris, ac viduis, sive virginibus, qui divertentes laici sunt, aut vestem mutant, vel conjugii copulantur.*

Quicumque (Ivo, p. 7, c. 47; Buch. l. 8, c. 27) ex saecularibus accipientes poenitentiam tonderunt se, et rursus praevaricantes laici effecti sunt, comprehensi ab Episcopo suo, ad poenitentiam, ex qua recesserunt, revocentur. Quod si aliqui per poenitentiam (*Poenitentiam exc.*) irrevocabiles sunt, nec admoniti revertantur, vere ut apostatae coram Ecclesia anathematis sententia condemnentur. Non aliter et hi, qui detonsi à parentibus fuerint, aut sponte sua, amissis parentibus, seipsos religioni devoverunt, et postea habitum saecularem sumpserunt, et iidem à Sacerdote comprehensi, ad cultum religionis, acta prius poenitentia, revocentur. Quod si reverti non possunt, vere ut apostatae anathematis sententiae subjiciantur. Quae forma servabitur etiam in viduis, virginibusque sacris, ac poenitentibus foeminis, quae sanctimonialium habitum induerunt, et postea aut vestem mutaverunt, aut ad nuptias transierunt.

LVI. — *De discretionem saecularium, et sanctimonialium viduarum.*

Duo sunt genera viduarum, saeculares, et sanctimoniales: saeculares viduae sunt, quae adhuc disponentes nubere, laicalem habitum non deposuerunt: sanctimoniales sunt, quae jam mutato habitu saeculari, sub religioso cultu in conspectu Sacerdotis vel Ecclesiae apparuerint. Hae si ad nuptias transierunt, juxta Ap. non sine damnatione erunt (*I Tim. v*): quia se primum Deo voventes, postea castitatis propositum abjecerunt.

LVII. — *De discretionem Judaeorum; qui non, vel qui credere, vi cogantur.*

De Judaeis (*Dist. 45, De Judaeis; Ivo, p. 1, c. 276, et Pan. lib. 1, c. 72; Buch. lib. 4, c. 82; Ad Rom. ix*) autem hoc praecepit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. *Cui enim vult Deus miseretur, et quem vult indurat.* Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes; ut integra sit forma justitiae: sicut enim homo

proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit; sic vocante gratia Dei, propriae mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed libera arbitrii facultate, ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi. Qui autem jam pridem ad christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi Sisebuti, quia jam constat eos esse sacramentis divinis associatos, et baptismi gratiam percepisse, et chrismate unctos esse, et corporis Domini et sanguinis extitisse participes, oportet ut fidem etiam, quam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur; ne nomen divinum blasphemetur, et fides, quam susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur.

LVIII. — *De his, qui contra fidem Christi, Judaeis munus, vel favorem praestant.*

Tanta est quorundam cupiditas, ut quidam *eam appetentes* (juxta quod ait Apost.) *etiam à fide erraverunt* (*I Tim. vi*): multi quippe hucusque ex Sacerdotibus atque laicis accipientes à Judaeis munera, perfidiam eorum patrocinio suo fovebant: qui non immerito ex corpore Antichristi esse noscuntur, qui contra Christum faciunt. Quicumque igitur deinceps Episcopus, sive Clericus, sive saecularis, illis contra fidem christianam suffragium vel munere vel favore praestiterit, vere ut prophanus et sacrilegus anathema effectus, ab Ecclesia, et regno Dei efficiatur extraneus: quia dignum est, ut à corpore Christi separetur, qui inimicis Christi patronus efficitur.

LIX. — *De Judaeis dudum Christianis, et postea in priori ritu diversis, ac servis, vel filiis eorum circumcisis.*

Plerique (*94, De Consec. dist. 4, Plerique ex Judaeis*) qui ex Judaeis dudum ad christianam fidem promoti sunt, nunc blasphemantes in Christum, non solum Judaicos ritus perpetrasse noscuntur, sed etiam abominandas circumcisiones exercere praesumpserunt: de quibus consultu piissimi Principis domini nostri Sisenandi Regis, hoc sacrum decrevit Concilium, ut hujusmodi transgressores Pontificali auctoritate correpti, ad cultum Christiani dogmatis revocentur: ut quos voluntas propria non emendat, animadversio sacerdotalis coërceat: eos



autem quos circumciderunt, si filii eorum sunt, à parentum consortio separentur; si servi, pro injuria corporis sui libertati tradantur.

LX. — *De filiis Judaeorum, ut à parentibus separati, Christianis debeant deputari.*

Judaeorum (28, q. 4, *Judaeorum*; Ivo, p. 1, c. 177) filios vel filias, ne parentum ultro involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus; deputatos aut Monasteriis, aut christianis viris ac mulieribus Deum timentibus: ut sub eorum conversatione cultum fidei discant, atque in melius instituti, tam in moribus quam in fide proficiant.

LXI. — *De filiis fidelibus Judaeorum; ne praevaricatis parentibus et damnatis, à rebus parentum exules fiant.*

Judaei (1, q. 4, *Judaei bap.*) baptizati, si postea praevaricantes in Christum, qualibet poena damnati extiterunt, à rebus eorum fideles filios excludi non oportebit: quia scriptum est: *Filius non portabit iniquitatem patris.*

LXII. — *De Judaeis baptizatis, qui se sociant infidelibus Judaeis; ut Christianis illi donentur, et isti caedibus deputentur.*

Saepe (27, q. 1, *Saepe*; Ivo, p. 1, c. 278) malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos qui ad vitia proni sunt? Nulla igitur ultra communio sit Hebraeis ad fidem christianam translatis, cum his qui adhuc in vetere ritu consistunt; ne forte eorum participatione subvertantur. Quicumque igitur amodo ex his qui baptizati sunt, infidelium consortia non vitaverint; et hi christianis donentur, et illi publicis caedibus deputentur.

LXIII. — *De Christianorum Judaeorumque conjugis communibus, et filiis eorum.*

Judaei (28, q. 1, *Judaei qui Christ. legum Visigoth. l. 12, tit. 2*) qui christianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Epis-

copo civilatis ipsius, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur. Quod si admoniti noluerint, separentur: quia non potest infidelis in ejus permanere conjugio, quae jam in christianam translata est fides. Filii autem qui ex talibus nati existunt, fidem atque conditionem matris sequantur. Similiter et hi qui procreati sunt de infidelibus mulieribus et fidelibus viris, christianam sequantur religionem, non Judaicam superstitionem.

LXIV. — *De Judaeis conversis, et post praevaricantibus; ut ad testimonium non admittantur.*

Non potest (2, q. 7, *Non potest. Idem in legib. Visigoth. lib. 12, tit. 2*) erga homines esse fidelis, qui Deo extiterit infidelis. Judaei ergo, qui dudum Christiani effecti sunt, et nunc in Christi fidem praevaricati sunt, ad testimonium dicendum admitti non debent; quamvis esse se Christianos annuntient. Quia sicut in fide Christi suspecti, ita in testimonio humano dubii habentur. Infirmari ergo oportet eorum testimonium, qui in fide falsi docentur; nec eis esse credendum, qui veritatis à se fidem abjiciunt.

LXV. — *Ne Judaei, vel si qui ex Judaeis sunt, officia publica agant.*

Praecipiente D. atque Excellentissimo Sisenando Rege, id constituit (17, q. 4, *Constituit in legib. Visig. lib. 12, tit. 5*) sanctum Concilium, ut Judaei, aut hi qui ex Judaeis sunt, officia publica nullatenus appetant: quia sub hac occasione christianis injuriam faciunt. Ideoque Judices provinciarum cum Sacerdotibus, eorum subreptiones fraudulenter elicitas suspendant, et officia publica eos agere non permittant. Si quis autem judicium hoc permiserit, velut in sacrilegum excommunicatio proferatur, et is qui surrepserit, publicis caedibus deputetur.

LXVI. — *Ne Judaei quodcumque mancipium Christianum quocumque titulo habeant.*

Ex decreto (Ivo, p. 13, c. 99) gloriosissimi Principis hoc sanctum elegit Concilium, ut Judaeis non liceat christianos servos habere,



nec christiana mancipia emere, nec cujusquam consequi largitate: nefas est enim, ut membra Christi serviant Antichristi ministris. Quod si deinceps servos christianos vel ancillas Judaei habere praesumpserint, sublatis ab eorum dominatu, libertatem à Principe consequantur.

LXVII. — *De libertis ex familia Ecclesiae factis, si nihil ex proprio conferant Sacerdotes, qui eos faciunt.*

Et si (12, q. 1, *Et si illi*; Ivo, p. 5, c. 249) hi qui nulla ex rebus suis pauperibus Christi distribuunt, aeterni judicis voce in futurum condemnabuntur; quanto magis hi qui auferunt pauperibus quod non dederunt? quapropter Episcopi, qui nihil ex proprio suo Ecclesiae Christi compensaverunt, hanc divinam sententiam metuant, et liberos ex familiis Ecclesiae ad condemnationem suam facere non praesumant. Impium est enim, ut qui res suas Ecclesiae Christi non contulit, damnum inferat et jus Ecclesiae alienare intendat. Tales igitur libertos successor Episcopus absque aliqua oppositione ad jus Ecclesiae revocavit, quia eos non aequitas, sed improbitas absolvit.

LXVIII. — *De discretionem ex familia Ecclesiae manumissorum; qualiter manumittantur, et ne adversa testificent, vel accusent.*

Episcopus (12, q. 2, *Episcopus*; Ivo, p. 5, c. 257) qui mancipium juris Ecclesiae, non retento ecclesiastico patrocinio, manumitti desiderat, duo meriti ejusdem et peculii coram Concilio Ecclesiae, cui praeminet, per commutationem, subscribentibus Sacerdotibus offerat (*Idem*, lib. 44; Digest. tit. 2, lib. 8): ut rata et justa inveniat definitio commutantis. Tunc enim liberam manumissionem sine patrocinio Ecclesiae concedere poterit: quia eum, quem libertati tradere disponit, jam jure proprio adquisivit. Hujusmodi autem liberti adversus Ecclesiam, cujus juris extitit, accusandi vel testificandi denegetur licentia. Quod si praesumpserit, placet, ut stante commutatione, in servitutem propriae Ecclesiae revocetur, cui nocere conatur.

LXIX. — *Quod liberti ex familia Ecclesiae pro compensatione acquisitae rei, à Sacerdotibus possint fieri.*

Consensus totius Concilii (*Decretal. lib. 5, tit. 15, cap. 5*) definit, ut Sacerdotes, qui aut res suas Ecclesiae relinquunt, aut nihil habentes, aliqua tamen praedia, aut familias Ecclesiis conquirunt; licebit illis aliquos de familiis ejusdem Ecclesiae manumittere, juxta rei collatae modum, quem antiqui canones decreverunt; ita ut cum peculio et posteritate sua ingenui sub patrocinio Ecclesiae maneant, utilitates injunctas sibi, juxta quod potuerint, prosequentes.

LXX. — *De professione libertorum Ecclesiae, et posteritatis eorum Sacerdotibus facienda; ne longinquitas temporis eos oblitescere faciat splendorem libertatis.*

Liberti (12, q. 2, *Liberti*; Ivo, p. 5, c. 244) Ecclesiae (quia numquam moritur eorum Patrona) à patrocinio ejusdem numquam discedant; nec posteritas quidem eorum, sicut priores canones decreverunt. Ac ne forte libertas eorum in futura prole non pateat; ipsaque posteritas naturali ingenuitate obnitens, sese ab Ecclesiae patrocinio subtrahat, necesse est, ut tam iidem liberti, quam ab eis progeniti, professionem Episcopo suo faciant, per quam se ex familia Ecclesiae liberos effectos esse fateantur; ejusque patrocinium non relinquunt: sed juxta virtutem suam obsequium ei vel obedientiam praebent.

LXXI. — *De libertis Ecclesiae ejusdem patrocinium relinquentibus.*

Liberti (12, q. 2, *Liberti Eccles.*; Ivo, p. 5, c. 246) Ecclesiae, qui à patrocinio ejus discedentes, quibuslibet personis adhaeserunt, si admoniti redire contempserint, manumissio eorum irrita sit; quia per inobedientiae contemptum actione ingrati tenentur.

LXXII. — *De libertis patrocinio Ecclesiae commendatis.*

Liberti (*Dist. 87, Liberti qui*; Ivo, p. 5, c. 246) qui à quibuscum-



que manumissi sunt, atque Ecclesiae patrocinio commendati existunt, sicut regulae antiquorum Patrum constituerunt, Sacerdotali defensione à cujuslibet insolentia protegantur; sive in statu libertatis eorum, seu in peculio quod habere noscuntur.

LXXIII. — *De discretionem libertorum, qui ad Ecclesiasticos honores pervenire possunt, vel qui prochi prohibentur.*

Quicumque (*Dist. 54, Quicumque lib.; Ivo, p. 6, c. 126*) libertatem à dominis suis ita percipiunt, ut nullum sibi obsequium patronus retinet; isti, si sine crimine sunt, ad Clericatus ordinem libere suscipiantur; quia directa manumissione absoluti noscuntur: qui vero retento obsequio manumissi sunt; pro eo quod adhuc à patrono servitute tenentur obnoxii, nullatenus sunt ad ecclesiasticum ordinem promovendi; ne quando voluerint eorum domini, fiant ex Clericis servi.

LXXIV. — *De libertis familiarum Ecclesiae, qui, vel qualiter ad Sacerdotium promoveantur; et de rebus eorum quid fiat, ac ne obvium testificent, vel accusent.*

De familiis Ecclesiae constituere Presbyteros et Diacones per Parochias liceat (*Bernard. Praepositus Papiensis, l. 1, tit. 12, c. 4*); quos tamen vitae rectitudo et probitas morum commendat; ea tamen ratione ut antea manumissi libertatem status sui percipiant, et de novo ad ecclesiasticos honores succedant: irreligiosum est enim obligatos existere servituti, qui sacri ordinis suscipiunt dignitatem. Quid autem talibus, aut per libertatem concessum, aut successione extiterit debitum, aut à quolibet quoquomodo collatum, non licebit eis quippiam inde in extraneas personas transmittere; sed omnia ad jus Ecclesiae, à qua manumissi sunt, oportet post eorum obitum pertinere. His quoque, sicut et caeteris Ecclesiae libertis, accusandi, vel testificandi adversus Ecclesiam aditus intercluditur: ad quod si adspiraverint, non solum libertatis beneficio careant, sed etiam honoris gradu, quem non dignitate naturae, sed temporis necessitate promeruerunt.

LXXV. — *De commonitione plebis, ne in principes delinquatur, et de electione Principum, et de transgressione fidei, quae Principibus promittitur, ac de monitione Principum qualiter judicent, et de ullione Principum nequiter judicantium, atque de execratione Suinthilanis, et conjugis, ac prolis ejus, similiter et de Geilane germano ejus, ac rebus eorum.*

Post instituta (*Regibus fidelitas servanda*) quaedam Ecclesiastici ordinis vel decreta, quae ad quorundam pertinent disciplinam, postrema nobis cunctis Sacerdotibus sententia est, pro robore nostrorum Regum, et stabilitate gentis Gotthorum, Pontificale ultimum sub Deo Judice ferre decretum. Multarum quippe gentium (ut fama est) tanta extat perfidia animorum, ut fidem sacramento promissam Regibus suis servare contemnant, et ore simulent juramenti professionem, dum retineant mente perfidiae impietatem. Jurant enim Regibus suis, et fidem quam pollicentur praevaricant (*Jerem. vii*); nec metuunt volumine illud iudicii Dei, per quod inducitur maledictio, multaque poenarum comminatio super eos qui jurant in nomine Dei mendaciter.

Quae igitur spes talibus populis contra hostes laborantibus erit? quae fides ultra cum aliis gentibus in pace credenda? quod foedus non violandum? quae in hostibus jurata sponsio permanebit, quando nec ipsis propriis Regibus juratam fidem conservant? Quis enim adeo furiosus est, qui caput suum manu propria desecet? Illud notum est, immemores salutis suae propria manu seipsos interimunt, in semetipsos suosque Reges proprias convertendo vires; et dum Dominus dicit (*Psal. civ*): *Nolite tangere Christos meos.* Et David (*I Regum, xxvi*): *Quis (inquit) extendet manum suam in Christum Domini, et innocens erit?* Illis nec vitare metus est perjurium, nec Regibus suis inferre exitium.

Hostibus quippe fides pacti datur, nec violatur. Quod si in bello fides valet, quanto magis in suis servanda est? sacrilegium quippe est, si violetur à gentibus Regum suorum promissa fides: quia non solum in eos fit pacti transgressio, sed et in Deum quidem, in cuius nomine pollicetur ipsa promissio. Inde est, quod multa regna terrarum coelestis iracundia ita permutavit, ut per impietatem fidei et morum alterum ab altero solveretur. Unde et nos cavere oportet casum hu-